



3
11
6
7
QUOD RATUM VELIT FALSTUMQUE
IURET

DEUS OPT. MAX.

QUO DUCE AC BRASIDE

Decio & Anthonio

MAGNIFICI, NOBILISSIMI, AM-
PLISSIMOQUE JUTORUM ORDINIS

In hoc

etiam

DISPUTATIONEM HANC IN AL-

GUATUM

DE

CIRCUMSCRIPTIONE
NEGOTIATIVA.

Summis in rebus
suis vix confidit

Solenni Edictum

JOHANNI HENRICHUS WETBERG.

Coloniæ Saxon.

Ad J. & G. hanc locum continens

etiam

ARGENTORAMI

In hunc locum

ANNO MDCCLXXII





CUM DEO!

PROOEMIUM.



Ariæ sunt hominum opiniones,
& quandoque falsæ l. 3. §. 7. ff. de cond.
caus. dat. & fabulosæ. l. 3. ff. si pars hered.
pet. Proinde mirum non est quod ean-
dem Leges nostræ experiantur fortu-
nam, quâ conflictantur aliæ res optimæ
quæque & utilitatis confessæ. Scilicet non desunt non
solum de plebe homines, sed qui inter eruditos non
ultimum sibi locum sumunt, Legum Romanarum
osores, qui dum suo abundant judicio, & Jus nostrum
multa impia, contra christianam charitatem, fraudes
& deceptiones, & nescio quid non introducere com-
miniscuntur, tanquam impium illud, judicio sanè præ-
postero & immaturo, damnant & proscribunt. Et ve-
rò de morbo cum judicare nemo possit, nisi qui me-
dendi artem didicerit; de Jure hi judicant antequam
intelligant, carpunt dum non capiunt: canibus simil-
limi, qui antequam inspexerint, an amicus sit quispi-
am, si tantum pulsaverit ostium, latrant: ita non per-
specta nec intellecta Lege, quod admodum incivile
l. 24. ff. de ll. de verbis & particula aliqua hi judicant,
latrant, nec discrimen faciunt, quid Lex approbet,
quidve conditione rerum humanarum non aliter fe-
rente, permittat, & cujusque conscientia, quam ac-
curatè

curatè Legislator scrutari nequit, committat: ima
confundentes cum summis, improbitatem hominum
in Leges transferunt, usum damnant ex abusu. Enim

Quid prodest, quod non ledere possit idem?

*Ignem quid utilius? si quis tamen urere tecta
comparat, audaces instruit ille manus.*

Eripit interdum modo dat Medicina salutem,

Quaque juvet monstrat, quaque sit herba nocens.

Et latro & cautus præcingitur ense Viator,

Ille sed insidias, hic sibi portat opem.

Discitur innecuas ut agat facundia causas:

protegit hæc fontes, immeritosque premit.

Illud quod in Legibus l. 16. §. 4. ff. de minor. l. 22. §. ult. ff. locat. licere dicitur contrahentibus se invicem circum-
scribere, non universè verum est, & cavendus magno-
perè est dictarum legum abusus: cum credendum sit
minime, tantopere hac in re Jus Civile à seipso disside-
re, ut fraudem ac dolum, quem alibi improbat ac ex-
cludit, arg. t. tit. de dol. mal. & tit. quæ in fraud. cred. junct.
tit. C. de revoc. hæc quæ in fraud. cred. & c. quasi sui ipsius
oblitum, in duabus hisce legibus approbare voluerit.
Sed quia Lex Civilis non solis virtuosis, sed populo, in
quo multi sunt à virtute deficientes, præscribitur: ideò
non potest Lex prohibere quicquid est contra virtu-
tem, sed ei sufficit ut prohibeat ea, quæ destruunt hu-
manum convictum, alia verò quasi licita habeat, non
quia ea approbat, sed quia non punit. Sic ergò habet
quasi licitum, pœnam non inducens, ut contrahen-
tes in pretio se circumscribant naturaliter, natura &
voluntate hominum ad malum prona, uti cum Ma-
gnifico Hodogeta Chart. 2. Clim. 1. membr. 14. vel cum
aliis, rerum conditione & contractuum natura non
aliter

5.

aliter ferente, non absurdè quis explicabit. Dinner. *Tt. de just. rer. pret. defin.* 2.1. Dn. Struv. *Syntag. Jur. Civ. Exerc.* 23. Th. 20. Dn. Lauterbach. *tit. de contrab. emt. m. 18.* Quæ tamen circumscriptio non pro fraude vel dolosa deceptione: Sed pro industria, solertia ac vigilantia in rebus suis & commodis, absque alterius injuria ἐπιπροσικῶς & negotiando augendis, vel maximè est accipienda. De qua *Circumscriptio Negotiativa* acceptâ non ita pridem, à Magnifico Nobilissimo ac Amplissimo, in florentissima hac Argentoratensium Universitate Jctorum Collegio, potestate, Theses aliquot, quas vocant Inaugurales, conscribere accingor. Quod ut feliciter cedat, divinum supplex imploro Numen!

T H E S I S I.

Removenda autem erit primùm omnium Vocum æquivocatio. Neque enim vocabulum Circumscriptio hîc in illo sumitur significatu, quo dolum & fraudulentam continet deceptionem, ut in *l. 7. ff. de dol. m. l. 4. ff. si mens. fals. mod. l. 16. §. 1. ff. de minor.* & passim accipitur; quæ etiamsi sit modica & infra dimidium justî pretii semper est inhonesta, turpis, Justitiæ & Legibus inimica & nunquam permittenda *Levit. c. 25. v. 14. 2. ad Thessal. 4. v. 6. t. tit. de dol. m. tit. ff. quæ in fraud. cred. junct. tit. C. de rev. his quæ in fraud. cred. tit. si quid in fraud. patron. &c.* Quin & ista circumscriptio si quis inductus ut contrahat, quia dolus verè intervenit causamque contractui dedit, omnis Contractus b. f. est ipso jure nullus *l. 7. pr. ff. de dol. m. l. 16. §. 1. ff. de minor. l. 5. C. de resc. vend.* Vel si inciderit in contractum, purgatur vel actione ex contractu veniente *l. 13. §. 4. & 5. ff. de act. emt. l. 2. C. eod.* vel exceptione doli, quæ b. f. judiciis inesse dicitur *l. 3. ff. de resc. vend. l. 21. ff. sol. marr.* aut læso dantur actiones ex ædilitio Edicto competentes *l. 18. pr. l. 61. ff. de adil. edict. l. 15. ff. de Eviçt.* Sed hîc sumitur pro circumscriptio in pretio, quæ ἐπιπροσικῶς, ex natura rerum & Commercio, facto & re ipsa accidit, & contrahentibus

A 3

hentibus l. 16. §. 4. ff. de minor. l. 22. §. ult. ff. locat. licere dicitur.

II. Nec Vocabulum Negotiativa in stricto hinc accipitur significatu, pro commutatione ad lucrum comparandum, emendo scilicet aut alio permutationis genere acquirendo rem aliquam, illamque non mutata carius vendendo, aut aliquo alio modo cum lucro permutando; quæ Commutatio ad lucrum proprie Negotiatio, & qui eam exercent Negotiatores dicuntur C. 10. X. de V. S. Molin. de l. & l. Tr. 2. disp. 339. n. 1. Sigism. Scacc. Tr. de Commerc. Q. 1. n. 13. Sed hinc latiori sumitur in significato, pro omni negotio, quo quilibet prudentiâ quadam & industria, vel œconomica, vel mechanica, rem familiarem ἐπιποιήσας, citra dolum & fraudulentam deceptionem, quocumque modo contrahendo studet augere, & Negotiationem strictè dictam suo ambitu includit. Hancque latiore Negotiationis acceptionem probat l. 65. pr. ff. de leg. 3. ubi Servi, qui ad emendum, locandum conducendum præpositi Negotiatores dicuntur: Et locatores equorum dicuntur negotiari. Strach. de Mercat. part. 1. n. 39. Sic summæ prudentiæ & autoritatis Plato inquit in dialogo, qui inscribitur Sophista, seu de Ente: Mercaturam duplicem esse: Altera quæ ad victum corporis spectat, altera ad animi disciplinam, commutatque nummis eruditionem; Sic qui Musicam alibi discendo emit, alibi docendo vendit, literaturamque similiter ceterasque animi disciplinas; tam serias quàm jocosas, mercatorem nihilominus quàm corporis alimenta vendentem dicimus: quem etiam negotiari non incongruè dixeris.

III. Derivatur autem Negotiatio à Negotio, quod generaliter significat quemcumque actum circa agibilia & externa otium impediens; cum Negotiatores pro re familiari augenda ut plurimum sint sine otio. Circumscriptio verò est Vox composita ex præpositione circum, & verbo scribo, & per metaphoram significat Circumscribere idem quod circumvenire & decipere: ita circumscribere adolescentulos Cic. Philip. 14. Pupillos, Juvenal. Sat. 10. Sic circumscribere Vectigalia, i. e. defraudare, Quintil. declam. 340. Et circumscribi similiter est circumveniri & fraudari: sic circumscriptus ponderibus minoribus l. 32. ff. de act. emt. mater dicitur circumscripta l. 6. C. sol. matr. & minor l. 2. C. si advers.

vers. libert. Brisson. in Lex. voce Circumscribere. Vocatur Circumscriptio Negotiativa aliàs Circumventio in pretio *l. 16. § 4. ff. de minor. Deceptio pretii C. 3. X. de Emt. vend.* Industria Negotiativa, Bald. *in l. 2. C. de resc. vend.* Dolus Negotialis, Dinner. *Tr. de just. rer. pret. defn. Q. 1.* Læsiō Negotiativa, Magnificus Dn. Doctor Lauterbach Patronus & Præceptor meus obsequiosè colendus, *ad rit. de resc. vend. n. 37.* Industria, Solertia & Vigilantia in rebus propriis & suis commodis augendis, quæ est homini naturalis & laudabilis potius quàm viuperanda, Rittersh. *diff. iur. Civ. & Can. lib. 3. C. 10.* Et est nihil aliud Circumscriptio Negotiativa, quàm læsiō quædã in pretio, naturaliter & re ipsa proveniens, contrahentibus ob rationabilem causam à Lege permessa, ad dimidium justii. *l. 16. § 4. ff. de minor. l. 22. § ult. ff. loc. l. 2. l. 8. C. de resc. vend. C. 3. C. 6. X. de emt. vend.* Loco generis in descriptione ponitur Læsiō, quæ non formalis ex dolo & intentione contrahentiū proveniens; sed ratione effectus, quâ facto, re ipsa & in effectu ex natura contractuum & negotiationis ἐπιπροσπικώς quis læditur, hæc est intelligenda. Verba, in pretio, continent differentiam specificam: Non autem pretium in hac quæstione nobis tantum est pecunia, sicuti in emtione venditione, locatione conductione. *§. 2. l. de emt. vend. l. 1. §. 1. ff. eod. l. 1. pr. ff. eod. l. 1. pr. ff. de rer. permut. l. 5. §. 1. ff. de P. V. arg. pr. l. de locat. l. 5. §. 2. ff. de P. V.* Sed valor quoque cujusque rei: quemadmodum in permutatione, is à quo contractus incipit, sive qui pro sua re aliquid sibi dari postulat, alteri eam ut pretium pro re invicem accipienda, tradere intelligitur. Excellent. Dn. Bœclerus *Tr. de mensura pretij disp. 1.* Reliqua in descriptione in sequentibus fient clariora.

IV. Sunt qui hanc Circumscriptionem distinguunt in eam quæ fit intra latitudinem justii pretii, & eam quæ ad dimidium justii pretii progreditur. Triplex enim à Dd. statuitur justum rerum pretium. Covarr. *var. resol. l. 2. C. 3. n. 2.* Molin. *de l. & l. Tr. 2. disp. 347. n. 4.* Supremum seu rigerosum, Medium seu moderatum, & Infimum seu pium: Et hæc latitudo justii pretii, pro qualitate rei modo est latior, modo angustior. Quo enim res pretiosior est majorisve æstimationis, eo regulariter in pretio major est latitudo: v. g. Si pretium medium alicujus rei sit 100, rigerosum

gerosum erit 105, pium verò 95, & sic latitudo justii pretii in hoc casu erit 10. Si autem pretium medium alicujus rei sit 10, rigerosum erit 11, aut paulo plus, pium 9, aut paulo minus. Quæ tota latitudo justii pretii si non excedatur, Justitia Commutativa non violatur. Et sic potest quis eodem tempore rem eandem carius vendere uni quam alteri, uni rigeroso & summo, alteri pio & infimo pretio, nihil impediante, quod nec loca, nec tempora, nec alia rerum circumstantia varietatem susceperint, ob quam justum pretium fuerit mutatum. Molin. *de l. & l. Tr. 2. disp. 347. n. 4. & disp. 339. n. 4.* Hancq; solam esse Circumscriptionem quæ licita & Legibus *l. 16 §. 4. ff. de minor. l. 22. §. ult. ff. locat.* permessa, sunt qui statuunt. Leonar. Less. *de l. & l. l. 2. c. 21. n. 23.* Molin. *d. l.* Verùm dictas Leges ad hanc æquivocè dictam circumscriptionem non esse restringendas, nec eam circumscriptionis nomen mereri, vel inde patet: quod intra latitudinem & cancellos justii pretii nulla detur deceptio, læsio nulla, cùm tota latitudo sit justa. Proinde nec Leges citatæ de ea intelligi, nec ipsa species quædam Circumscriptionis constitui poterit. Sigism. Scac. *de Commerc. §. 1. Q. 7. part. 2. ampl. 10. n. 4.* Covarr. *l. 2. cap. 3. num. 1.*

V. Non incongruè forsan Circumscriptio Negotiativa, quam in latiori hîc sumi significato supra *Th. 2.* dictum, pro diverso negotiandi modo distingui poterit, ut Alia sit quæ contingit, cum ea quæ ad rem familiarem faciunt augendam, vel ad sui familiæque sustentationem sunt necessaria, pretio quo potest viliori à Patrefamilias emuntur, vel quocumque modo parantur, superflua autem carius venduntur, locantur aut commutantur, & vocari posset Oeconomica: Alia, cùm ea quæ viliori pretio sunt quæsitæ, & vel natura operante sunt meliorata; veluti si vitulus in juveneam adoleverit, vel arte & industria Artificis mutata, ut si ex lana pannus, ex ferro gladius, ex equo rustico doctus factus, cariori iterum vendantur pretio, & vocari posset Mechanica sive Artificialis: Alia denique quæ contingit, quando ea quæ sunt emta, non mutata carius iterum venduntur, ut lucrum inde quaratur, & hæc κατ' ἐξοχήν & in significato famosiori dicetur Circumscriptio Negotiativa.

VI. Quamvis autem omnem in genere Circumscriptionem

2.
nem Sacrae paginae videantur prohibere, cum Deus Opt. Max. ipse contractui emtionis venditionis, circumscriptio admodum familiari, legem dixerit: *Levit. cap. 25. v. 14.* quando vendes quippiam Civi tuo vel emes ab eo, non contristes fratrem tuum, & *vers. 17.* non circumveniatis quisque proximum suum, sed timebis Deum tuum, quia ego Dominus Deus vester. Et D. Paulus *1. ad Thessal. c. 4. v. 6.* praecipiat: Ne quis circumveniat in negotio fratrem suum quoniam Vindex horum omnium est Deus. Attamen cum adducta loca non de hac nostra, sed de ea circumventionem fratris vel proximi sint intelligenda, qua fraudulento animo & ex voluntate frater decipitur, quam omnem, etiam modicam, & infra dimidium justii pretii permissam non esse, sed turpem, inhonestam justitiaeque inimicam supra *Tb. 1.* dictum, citata loca circumscriptio Negotiativa non refragabuntur.

VII. Non reprobarunt quoque hanc Circumscriptionem in pretio ipsi Summi Pontifices, sed in Jus suum receperunt Alexander III. *in cap. Dilecti,* & Innocentius III. *Cap. penult. X. de emt. vend.* quod eos facturos fuisse, si eam injustam & Lege divina prohibitam intellexissent, credendum non est. In his autem quaestionibus quando agitur de justitia contractuum & similium negotiorum Canonistarum & Jctorum decisioni magis standum, quam Theologorum. Evangelium enim non abolet Politicas Ordinationes, neque etiam Magistratui praescribit (nisi in genere, cavendum esse injustitiam, fraudes, violationem charitatis &c.) quomodo & quinam contractus sint ferendi, qui non: ut Constitutionibus Magistratus Politici in hoc casu acquiescere queamus. Eleganter in hanc rem differit Dn. Brentius *in cap. 6. Luc. homil. 61.* inquit: Sacrae Literae docent illegitimos contractus fugiendos & vitandos esse. Nequaquam autem docent qui contractus sint illegitimi: Sed rejiciunt hoc judicium ad Leges humanas & Ordinationes atque Constitutiones Magistratus Civilis. Proinde qui rationem legitimorum contractuum in Republica nosse velit, necesse habet eam non è Sacris Literis, sed è Legibus, Constitutionibus & Ordinationibus Magistratus Civilis requirere, & quos Contractus in iis legitimos & licitos invenerit, sentiat se his bona conscientia uti posse. In eandem quoque sententiam loquitur Lobechius *disp. 18. in August. conf.*
B fess.

fest. Th. 39. ubi ait: quomodo sit contrahendum, & qui contractus habendi sint legitimi vel illegitimi, non Theologorum sed Magistratus & Iurorum est judicare.

IIIX. Et præterea si quis Causam hujus Circumscriptionis & fundamentum, quod ipsius Negotiationis natura, rerum, locorum, temporis pretiique varietas & tacitus contrahentium consensus constituunt, melius aliquanto perpenderit, eam non iniquam, vel evitari non posse videbit. Maxima est Negotiationis & Commerciorum in Republica utilitas *l. 2. ff. de Nund.* necessitas magna. Tolle enim Commercia, & tunc necesse erit, homines aliena rapere ut sustentari possint, aut certè fame, nuditate, aut aliàs miserabiliter complures perire. Sigism. Scac *Tr. de Commerc. §. 1. Q. 1. n. 68.* Quæ enim est provincia quæ omnibus abundet? Proinde opus est res necessariæ & quæ deficiunt aliunde adducantur, adductæ industriose conserventur, ut cum eis homines indigeant, possint invenire incorruptas. Dn. Hahn. *in Observ. ad Wesenb. rit. de contrab. emt. n. 5.* Hæcque rerum ex una in aliam provinciam translatio & earundem postea venditio ad lucrum, est ipsa Negotiatio, pro cuius lucri justificatione plura sunt consideranda, pretium nempe quo res sunt emtæ, expensæ, sollicitudines, curæ & pericula tam rerum, quàm aliquando personarum Scac. *d. Tr. §. 1. Q. 1. n. 73.* Quis autem tantis periculis se exponeret spes lucri omnis si præscindatur? Sine spe questus enim luget mercatura. Lucri namque causa contractus fiunt *l. 25. §. 1. ff. de O. & A. l. 8. C. de resc. vend.*

IX. Qua propter pro sua diligentia, cura & periculis Negotiator tanquam in stipendium laborum licitè majus pretium accipit; quia quilibet in opere honesto Reipublicæ serviens oportet de suo labore vivere. Benv. Strach. *Tr. de contr. mercat. part. 3. n. 2.* Naturâ quoque æquum est neminem damnum sentire per alterius lucrum *l. 6. §. ult. ff. de jur. dot.* Sed unusquisque potest sibi prodesse dummodo alteri nocendi animum non habeat, sed suam conditionem meliorem faciendi *l. 1. §. 11. l. 2. §. 9. ff. de aq. pluv. l. 9. ff. de s. v. p.* Quid quod contrahentes ex diverso quod gerunt voto, cum ad contractus accedant, emtor ut viliori comparet, venditor ut cariore pretio vendat, vixque post multas contentiones paulatim venditore de eo quod petierat detrahente.

trahente, emtore autem huic quod obtulerat addente, in certum tandem consentiant pretium, rigerosam istam æqualitatem sibi remittere censentur, & in quod consenserunt pretium, licet illud à puncto mathematico iusti pretii aliquantum discedat, iustum omninò videtur dicendum; quia nullo interveniente dolo à partibus ita volentibus est statutum, quod utpote ingenitum & contractuum connaturale servandum. Secundum bonam fidem enim est autore Imperatore in *l. 8. C. de resc. vend.* conventiona circa pretia servari, neque ulla ratio contrarium suadet.

X. Id quod præterea ex eo optimam recipit confirmationem; quod per illam de pretio statuendi libertatem, tollatur individua illa & rigerosa æqualitas, quâ si contrahentes immorarentur & torquerentur, vix posset deveniri ad celebrationem cujusdam contractus, quod Reipublicæ maximè foret perniciosum, societati ac indigentia humanæ intolerabile. Covarr. *lib. 2. c. 3. n. 2.*

XI. Deinde, non leve momentum Circumscriptioni in pretio adfert ipsius pretii varietas. Cùm enim pretium sit veluti medulla contractuum. Raph. de Turri *Tr. de camb. disp. 1. q. 24. num. 1.* & illi eatenus dicantur iusti, quatenus licitè fiunt, tunc autem licitè fieri credendum, cùm iusto celebrantur pretio: illud autem cùm maximè sit instabile, varium ac incertum. Pretia namque rerum ex mille circumstantiis modo crescunt, modo diminuuntur. Proinde quodnam pretium dicatur iustum paucis erit dispiciendum.

XII. Pretium propriè nihil est aliud quam taxatio, seu potius rei subjectæ æstimatæ verus valor, & interdum quantitas indigitatur & dicitur *l. 1. ff. de contrah. emt.* Magnificus Dn. Doctor Rebhan, Patronus ac Præceptor meus obsequiosa mentis veneratiore semper colendus, Hodog. Iur. p. 522. Cùm autem rerum aliarum, tum propter varietatem locorum & temporum, tum propter aliarum circumstantiarum mutationem, æstimatio variabilis sit ac fluxa, ita ut pretium cujusque rei iustum ac verum perpetuò definiri atque sciri non possit *l. 3. ff. de eo quod cert. loc. l. 23. C. de usuris.* Nummi verò perpetua quodammodo æstimatio, atque una & eadem potestas ubique esse videatur *l. 1. pr. ff. de contrah. emt.* Nummus, qui non tam facilè, ut res aliæ
quæ

quæ æstimantur, mutationem subit, ut instrumentum commutationis rerum placuit, ut esset reliquarum rerum mensura, vel medium legitimum, quo omnia quorum est permutatio, comparari inter se aliquo modo possint, ut sciri queat quantum valeant singula. Dn. Hahn in *observ. Wesemb. tit. de contrah. emt. n. 2.* Dn. Bœcler. *Tr. de mensur. pret. disp. 1. Mantica de tac. convent. lib. 4. tit. 19. n. 2.*

XIII. Est autem pretium rei aliud, quod ab Arist. *l. 5. Eth. cap. 7.* vocatur Naturale: quod non ex naturis rerum secundum se, quoad earum nobilitatem ac perfectionem est judicandum; aliàs quælibet res animata, veluti muscæ & mures essent nobiliore ac pretiosiores, quàm ingens frumenti acervus. Nec dicitur Naturale, quod non multum ab hominum æstimatione pendeat, quâ res plus vel minus æstimare solent, aut quod non sit inconstans & varium: Sed dicitur Naturale, quia ex ipsismet rebus consurgit, dependenter tamen ex multis circumstantiis, quibus variatur, atque ex æstimatione hominum, habito respectu ad varios usus, vel interdum ex solo affectu arbitrio ac beneplacito hominum determinatur. Hinc quoque est quod unius lapilli, quem pretiosum vocant, ad ornatum, vel accipitris ad aucupium, pretium non rarò longè sit majus, quàm justum pretium ingentis copię frumenti, vini, carniū & aliarum rerum, quæ ex sua natura excellentiores, atque ad usus humanos sunt longè utiliores. Quia autem ejusmodi pretium non merè ex naturis rerum consurgit, sed ex variis circumstantiis, habito interdum respectu ad humanos usus, interdum ex solo hominum arbitrio ac beneplacito determinatur: hinc est quod illud pretium maximè sit variabile, nec in indivisibili consistat, sed habeat quandam latitudinem justı ac commensurati ad rem, à contrahentibus determinandam. Molin. *de 1. & 1. Tr. 2. disp. 347. 348.* Raph. de Tur. *Tr. de camb. disp. 1. q. 24.*

XIV. Variæ autem circumstantiæ quæ augent vel minuant rerum pretia sunt; veluti penuria vel abundantia rerum, quæ facit accrescere vel decrescere pretium: major vel minor indigentia certo quodam tempore auget vel minuit rei pretium: Sic equi plus valent imminente bello, quàm pacis tempore. Penuriæ quoque copia aut penuria plurimum valet in computandis rerum

rerum pretiis. Ubi enim pecuniæ multum est, ibi pleraque carius venire videmus, & in penuria pecuniæ pretia rerum necessitas imminuit. Dn. Bœcler. *d. tr. disp. 1.* plures rei pretium variantes circumstantiæ videri possunt apud Dn. Lauterbach. *ad tit. ff. de contrab. emt. n. 18.* Sic multitudo vel raritas emtorum aut venditorum variat rei pretium. Non autem minuit pretium, quod venditor re quam vendit non indigeat; sicuti non augetur pretium, quod res vendatur ei, qui ex illa magnum lucrum meditatur, vel quia ista valdè indiget, modo ista indigentia non sit communis, aliàs sequeretur rem pauperi carius esse vendendam quam diviti. Molin. *d. tr. disp. 348. num. 5. & 6.* Et quemadmodum qualitas emtoris non debet augere pretium rei vendendæ, ita nec minuatur istud ex qualitate venditoris. Proinde Alchymista qui veram conficeret alchymiam, non teneretur aurum verum & bonum vendere viliori pretio. Sigism. Scacc. *tr. de commerc. §. 1. q. 7. part. 2. ampl. 10. n. 62.*

XV. Modus quoque venditionis variat rei pretium. Sic quæ in auctione venduntur justum habent pretium quod maximum ab eo, qui alios licitatione vicerit est oblatum. *auth. hoc jus porrectum C. de SS. Eccles. l. ult. §. ult. C. de admin. tut.* Sic longè vilius emuntur quæ Scholasticus forsan abituriens divendit; veluti suppellectilem librariam; quia ultroneæ merces, quales sunt, quibus emtor quæritur, vilescunt pro tertia parte. Minutim quoque ac per partes res vendere, quæ parata pecunia & uno pretio emtæ, facit pretium accrescere: Sic dilatione solutionis augetur pretium. Quodcumque enim onus contractui apponitur illud æstimatur pars pretii. Sigism. Scacc. *d. tr. §. 1. q. 7. part. 2. ampl. 8. n. 154.* Sic res majori venditur pretio, quam venditor venditurus non erat, ut emtor rei nimis inhians malè ferè emere cogatur. Cupiditas enim rem habendi sæpe auget ejus pretium. Dn. Bœcler. *d. tr. disp. 1.* Et tunc potest illa res vendi majori pretio quam valet; quia tali casu justum pretium erit, ut non solùm respiciatur ad rem quæ venditur, sed ad damnum quod venditor ex venditione incurrit: puta res venditori fuit valdè commoda, vel ad ædificandum, vel ad aliquid aliud, vel multum ad illam fuit affectus, ægreque patebatur illam vendere, tunc vendere potest tale detrimentum, quin & privationem

nem voluptatis, quam in ea possidenda habet, accipiendo aliquid ultra commune pretium. Molin. *de l. & l. tr. 2. disp. 348. num. 6.* Sigism. Scacc. *tr. de commerc. §. 1. q. 7. p. 2. ampl. 10. num. 62.*

XVI. Ex lucro autem vel damno Mercatoris metienda non sunt rerum pretia, sed ex communi earum aestimatione, in loco ubi venduntur, attentis circumstantiis presentibus. Hinc si navis quæ merces adferebat sit submersa, vel ab hoste intercepta: Item domus in qua merces asservabantur sit exusta, vel aliàs vento parum secundo, aut minus scitè negotiatus fuerit mercator, damnum est mercatoris, cui sua res perit, nec potest damnum reliquas merces carius vendendo compensare: Sicuti nec ex eo, quod favente fortuna, vel ob singularem negotiandi artem, quam novit mercator, plurimum lucretur, de pretio rerum vendendarum quicquam detrahitur; sed justum pretium, non attento lucro, si modo res sui raritate ac novitate, vel hominum aestimatione pretiosa habeatur, ipsi est solvendum. Molin. *de l. & l. tr. 2. disp. 348. n. 8. & 9.*

XVII. In rebus soli justum pretium ex modo fructuum & reddituum cujusque fundi constituitur *l. pen. pr. de reb. eor. qui sub tut. l. 92. pr. ff. de leg. 1. l. 16. C. de resc. vend.* Computantur autem communiter fructus & redditus secundum eam quantitatem, quæ tribus annis proximis fuit collecta *l. 3. C. de apoch. publ.* In redditibus, pensionibus censibusque annuis aestimandis, *der jährlichen Gült oder Renten von liegenden Güthern* / justum pretium est illa quantitas, ad quam redditus vel pensio ascendit spatio viginti annorum. Justa enim pensio est, quæ vigesimo anno sortem æquat: sic annui redditus ex fundo vel pensio ex domo, quæ erat quinque florenorum in singulos annos, centum florenis justo pretio emuntur. Et hoc pretium in redditibus annuis, censibus atque pensionibus Imperii Constitutiones approbarunt. *Policeyord. de Anno 1577. tit. 17. §. Und nachdem/verb. Sollen mit hundert Gülden Hauptgeldes / nicht mehr denn fünfß Gülden jährlichen gekaufft werden.* Item de annuis redditibus vini & frumenti, *tit. 19. §. ult. vers. aber da Korn. Gail. lib. 2. observ. 5. 7. 8. 9. & 10.*

XVIII. Non autem ad hunc modum reddituum revocandum

dum est pretium Castrorum & Jurisdictionis, ut pro quinque
 quæ annuatim ex illis percipiuntur, centum justum constituent
 pretium. Non enim tam ex redditibus, cum plerumque Castra
 & pretiosæ illæ domus plus habeant sumptuum quam fructuum.
Gail. lib. de pignorat. observ. 18. n. ult. sint steriles l. ult. §. 4. C.
de bon. qua liber. quarum redditus pretio non respondet, quàm
 ex dignitate justum earum pretium est æstimandum. Hinc Do-
 ctiores tradunt, duos aureos ex Jurisdictione perceptos, centum
 ex sorte conficere: Et plus esse trecenta ex Jurisdictione capere
 quàm octingenta ex aliis rebus. *Riminald. Consil. §. num. 127.*
 Unde in æstimatione talium rerum observanda est practica. *Bar-*
tol. in l. 2. C. de resc. vend. num. 17. quod videlicet earum rerum
 æstimatio peritorum judicio sit facienda: quæ autem circum-
 stantiæ in æstimandis hujusmodi rebus considerari debeant,
 vid. apud *Wehner. in pract. observ. in verb. Anschlag der Güter.*
 pag. 30.

XIX. Haec de Naturali pretio, quod ex ipsismet re-
 bus confurgere, sed dependenter ex multis circumstantiis qui-
 bus variatur, atque ex æstimatione hominum, habito respectu
 ad varios usus, atque interdum ex solo eorum arbitrio & bene-
 placito determinari, illudque maximè variabile nec in indivisi-
 bili consistere, supra *Tb. 13.* dictum. Est autem & aliud pretium
 quod omnino consistit in indivisibili & nullam admittit latitu-
 dinem, sed omnis excessus est injustus & restitutioni obnoxius.
 Vocatur autem Legale sive Legitimum. Et est justum quoddam
 rei pretium Lege publicove decreto per publicam potestatem ta-
 xatum. *Arist. §. Eth. cap. 7.* quod ex natura rei Naturali pretio
 posterius est, illudque quodammodo præsupponit. Lex quip-
 pe humana, pro potestate quæ est in Principe, vel penes quem
 est τὸ νόμιον, statuendi quod Reipl. expedire judicaverit, & ad id
 cogendi cives, determinat certum pretium intra latitudinem ju-
 sti naturalis, quod contrahentes non excedant, ut ea ratione
 Reipl. bono consulatur plurimæque mala evitentur. *Molin. de l.*
& l. tr. 2. disp. 347. n. ult. Ex eo itaque quod pretium Lege uni-
 versali est taxatum, non datur latitudo pretii, infimi, medii &
 superioris; sed quilibet excessus, licet minimus, injustus est:
 nec licet contrahentibus ab isto taxato pretio recedere ne obulo
 quidem

quidem gravando, scilicet eum cujus favore taxatio fuit introducta: quin enim leviori quam taxatum est pretio emtor, in cuius favorem pretium ut plurimum à Lege solet determinari, rem possit comparare, vel venditor, si in ejus gratiam, ut interdum fit, veluti in annuis redditibus, taxatio à Lege fuerit facta, majus pretium recipere possit, dubitandum non est. *supra cit. Th. 17. Polliceyordn. verb. Sollen mit 100. fl. Hauptgeldes nicht mehr denn 5. fl. jährlich gefaust werden. Dn. Lauterbach. ad tit. ff. de contrab. emt. n. 17. nec quisquam dixerit distrahentem leviori pretio & de jure suo remittentem, vel etiam jure suo utentem injustâ agere. Raph. de Turri tr. de Camb. disp. 1. q. 13. n. 32. & q. 24. n. 41.*

XX. Quamvis autem gravior videatur injuria quæ inani honestatis colore velatur, ut homines de rebus suis aliquid facere cogantur invito *l. 14. C. de contrab. emt.* Unusquisque enim rei suæ moderator est & arbiter *l. 21. C. mand.* & periniquum videatur non esse ingenuis hominibus rerum suarum liberam alienationem *l. 2. si à par. quis fuerit manum.* Mercatoribus tamen, qui res ad quotidianum hominum victum venales exponunt, pretium à Magistratu determinari & moderatio vendendis mercibus omninò adhiberi potest. *Bart ad l. 3. ff. ad L. lul. de annonâ. Strach. de contract. mercat. part. 4. n. ult.* Sicuti enim ad publicam spectat potestatem condere Leges justas circa alia, prout communi bono expedire judicaverit: sic etiam statuere ac definire pretia rerum, ut intra æquitatis terminos eidem bono communi viderit convenire. *l. 1. §. 11. ff. de offic. pref. urb. l. 1. C. de Episc. aud. l. 18. §. 7. ff. de muner. & honor.*

XXI. In rebus autem quæ venales non sunt pretia à Lege constitui non debent. *l. 3. ff. ad L. lul. de annon. l. 9. ff. rer. amot. nec in iis, quæ non sunt necessaria ad victum humanum & quotidianum usum: Sed quæ sunt venalia hominiquæ ad vivendum necessaria, veluti frumenti, panis, vini, carniùm, pannorum aliorumque similium, quæ esui potuique cultuique corporis sunt & uno verbo victus nomine continentur, l. 43. l. 44. ff. de V. S. quo nomine etiam ædes veniunt quæ locari consueverunt l. 6. l. 21. l. ult. ff. de alim. vel cib. leg. pretium debet definiri. l. 1. C. de Episc. aud. l. 18. §. 7. ff. de muner. & honor. l. 1. §. 11. ff. de offic. pref.*

prof. urb. Atque ita in celebri vicina Academia Tubingensi factum, ubi quælibet domus, quæ apta est ut Scholari locetur, publicè descripta ejusque pensio annalis æstimata est atque definita. Dn. Lauterbach. *ad tit. ff. locat. cond. n. 4.* Plures quæstiones circa pretium legale, ab instituto nostro remotiores, videri possunt apud Molin. *de 1 & 1. tr. 2. disp. 364. & seqq.* Dinner. *Tr. de justo rerum pret. def. q. 3. & 4.* Strach. *de contr. mercat. part. 4. circa fin.*

XXII. Tertium quod restat rerum pretium est quod contrahentium consensu ac voluntate definitur ac constituitur. *l. 8. C. de resc. vend.* vocaturque Conventum, & in hoc pretio circumscriptio negotiativa est frequentior, neque contrahentibus ob libertatem, quæ illis naturaliter statuendi de re sua competere videtur, omninò prohiberi potest. Secundum bonam fidem enim est, teste Imperatore, conventa circa pretium servare, nec ulla ratio contrarium suadet *l. 8. C. de resc. vend.* Et justum est pretium quod nullo interveniente dolo, à partibus ita volentibus est statutum, cum quælibet res tanti valeat, quanti vendi potest homini scienti rei qualitatem. *l. 18. §. ult. ff. de m. c. don. l. 14 pr. ff. de condict. furt. l. 1. §. 16. ff. ad SCrum Trebell. l. 73. §. 1. l. 82. pr. ff. ad L. falcid.* Raph. de Turri *rr. de camb. q. 24. n. 8. & 9.* Nec est de quo circumscriptus conqueratur, nisi de sua oscitantia, quod in perquirendo vero rei pretio debitam non adhibuerit diligentiam: damnum autem quod quis sua culpa sentit, sentire non intelligitur *l. 203. ff. de R. I.* Jura enim vigilantibus scripta sunt, negligentibus non subveniunt *l. 16. ff. ex quib. caus. maj.* nec alter qui suo jure usus est, ipsi damnum dedisse censetur *l. 55. ff. de R. I.* Et præterea dum contrahentes ex diverso quod gerunt voto, carius vendere viliusque emere, post multas contentiones detrahendo addendove ad certum consentiunt pretium, tacito consensu rigerosam istam pretii æqualitatem remittere sibi que condonare censentur. Molin. *d. tr. disp. 351. num. 3.* Zoel. *in Comment. ad Cod. tit. de resc. vend. in pr.*

XXIII. Quamvis enim regulariter in emtionibus venditionibus, locationibus & reliquis onerosis contractibus, præsumenda

C

sumenda

sumenda non sit donatio excessus aut defectus à latitudine iusti pretii. *l. 25. pr. ff. de prob.* nihilominus tamen si contrahentes sci- ant valorem rerum, nec alter sit in contrahendi necessitate, in qua nemo liberalis præsumitur. *l. 18. de adm. leg.* vel licet res pluris vel minoris sit, non alio pretio se distrahere velle prædi- cant, neque interveniat vis, metus vel fraudulenta alia dece- ptio, donatio istius excessus in pretio, præsertim si modicus fuerit, quin præsumi possit, vix quicquam obstabit. *Molin. d. tr. disp. 351. Covarr. var. resol. lib. 2. C. 3. n. 2.* Ex sola autem pretii parvitate, neque Jure Civili, neque Jure Canonico vel fraus vel dolus præsumitur *l. 10. C. de resc. vend.* sed quicquid contrahentes de pretio statuerunt, firmum habetur ratumque & neutro Jure, nisi enormiter læsus, ad agendum admittitur. *l. 2. l. 8. C. de resc. vend. C. 3. & C. penult. X. de emt. vend.* Nus- quam enim illa industria & solertia & vigilantia in rebus pro- priis & suis commodis augendis, quæ est homini naturalis, & laudabilis potius quam vituperanda, in utroque Jure reperi- tur improbata. *Rittersh. diff. jur. Civ. & Can. lib. 3. cap. 10.*

XXIV. Illi qui hac circumscriptione negotiativa, quam in latiori hinc sumi significatu *Tb. 2.* dictum, lædunt vel lædun- tur sunt ipsi contrahentes *l. 16. §. 4. ff. de minor. l. 22. §. ult. ff. loc. cond.* Et in universum qui contrahere & contrahendo se possunt obligare, omnes in pretio se possunt circumscribere. In his enim quæ sunt de genere permissorum, omne censetur permis- sum, quod expressè non reperitur prohibitum *l. 43. §. 1. ff. de proc. l. 28. §. 2. ff. ex quib. caus. maj. C. 2. vers. præsertim. X. de translat. Episc. C. 1. de procur. in 6.* Contractus autem ferè omnes sunt juris gentium *l. 5. ff. de l. & l.* & omnes contrahere possunt, nisi pro- hibentur vel naturâ, ut infans, furiosus mente captus *§. 10. l. de inutil. stipul. l. 5. l. 40. ff. de R. l. l. 1. §. 12. ff. de O. & A. l. 2. C. de contrab. emt.* Minor autem in pretio circumscribi potest, nec ob id quod læsus est in pretio in integrum restituitur *l. 11. §. 4. & §. l. 16. §. 4. l. 24. §. 1. ff. de minor.* si verò ex infirmita- te ætatis & iudicii contrahendo sit læsus, licet in pretio non sit circumscriptus restituitur in integrum etiamsi sit U. J. Doctor *l. 1. C. qui. & advers. quos in integr. l. 2. ff. de iur. & fact. ignor. Mer- catori*

catori autem minori in negotiis mercaturam concernentibus re-
 stitutio denegatur. Strach. *de contr. mercat. part. 3. n. 26.* Vel pro-
 hibentur specialiter Lege *l. 14. C. de resc. vend. &* quidem in qui-
 busdam contractibus ut in emtione: qui ex officio aliquid ven-
 dunt, ob fraudulentæ administrationis suspicionem, vel per se
 vel per alios emere prohibentur, nisi specialiter quibusdam
 fuerit concessum *l. 46. ff. de contrab. emt.* hinc Tutor vel Cura-
 tor rem pupilli vel minoris quam ipse ex officio vendit, emere
 nequit *l. 34. §. fin. ff. de contrab. emt. l. 5. §. 2. & 3. ff. de autor.
 tut.* Et qui in provincia agunt propter metum concussionis ne-
 que immobilia, neque mobilia, ad victum & amictum non ne-
 cessaria, emere possunt. *l. 62. pr. ff. de contrab. emt. l. 46. §. 2. ff.
 de jur. fisc. l. un. §. 2. C. de contr. iud.* quod tamen hodie pluri-
 mis in locis non observari tradunt Christin. *vol. 2. decis. 86. n. 3.*
 Dn. Lauterbach. *ad tit. de contrab. emt. m. 5.* Qui itaque con-
 trahere nequeunt, illi quoque Subjectum circumscriptionis con-
 stitui non possunt.

XXV. Præterea à negotiatione strictè dicta excluduntur
 Nobiles & in dignitate constituti. *l. 3. C. de commerc. & mercat.*
 item milites *l. un. C. negot. ne milit. l. 15. C. de re milit.* Strach.
tr. de contr. merc. p. 3. n. 11. fœminæ autem negotiari possunt.
l. 32. §. 4. ff. de aur. & arg. leg. l. 7. §. 1. ff. de instit. act. Et quam-
 vis hæc negotiatio merè lucrativa, quâ scilicet aliquid emi-
 tur ut immutatum carius iterum vendatur, de Jure Can. Cleri-
 cis sit interdicta *C. 9. & 10. dist. 88. C. 15. 16. X. de vit. & honest.
 Cleric.* quia Deo militantes negotiis secularibus se implicare
 non debent *2. ad Timoth. c. 2. v. 4.* & Clerici abstinere debent
 non solum ab his quæ mala sunt secundum se, sed etiam ab
 his quæ habent speciem mali. Sigism. Scacc. *tr. de commerc. §.
 1. q. 7. part. 2. ampl. 11. n. 7.* Ita tamen negotiatio quæ œco-
 nomica dicitur supra *Th 5.* quâ ea quæ ad sui familiæque su-
 stentationem sunt necessaria, pretio quo possunt, viliori emunt,
 superflua carius vendunt, Clericis omninò est licita *arg. l. 28.
 §. 2. ff. ex quib. caus. maj. C. 1. de procur. in 6.* uti nec ista quæ di-
 citur Artificialis sive Mechanica illis censetur prohibita: sic quod
 Clericus victum & vestimentum sibi artificiolo vel agricultura

absque officii sui detrimento debeat præparare; textus est in C. 3. dist. 91. & quod Clericus quantumlibet verbo Dei eruditus, debeat nihilominus artificiolo victum quarere. Omnes enim Clerici, qui ad operandum validi sunt ut artificiola & literas discant, in terminis traditur C. 4. dist. 91. Et si Apostolus Paulus hoc fecit 1 ad Cor. 4. v. 12. 2. ad Thessal. 3. v. 8. cur hi hi in usus suos cellura non præparent? C. 33. de Consecrat. dist. 5.

XXVI. Versatur autem Circumscripção Negotiativa tantum circa pretium l. 16. §. 4. ff. de minor. l. 22. §. ult. ff. locat. In re enim si deceptio facta, aliud est dicendum Th. seqq. In omnibus verò conventionibus & contractibus onerosis, qui sunt ad quæstum seu ad acquirendum, locum habet circumscripção negotiativa. Strach. rr. de merc. p. 1. n. 40. Bach. ad Treutl. vol. 2. d. 2. rh. 11. l. e. Dn. Hahn. in observ. Wesemb. tit. de resc. vend. n. 6. Sic locum habet in emtione venditione l. 16. §. 4. ff. de min. l. 22. §. ult. ff. locat. sive emtio sit rerum mobilium sive immobilium. Zoef. in Comm. ad Cod. de resc. vend. q. 3. præsentium sive futurarum l. 8. ff. de contrah. emt. hereditatis vel actionis Dn. Lauterbach. ad tit. de resc. vend. n. 28. sive sit emtio spei. Scacc. de commerc. §. 1. q. 7. p. 2. ampl. 10. n. 5. sive sit venditio judicialis & sub hasta facta, quamvis subhastatio & decreti Judicis interpositio talem inducat præsumptionem, quæ læsionem excludit l. 16. C. de resc. vend. Gomez. Tom. 2. c. 2. de emt. num 23. Sic Circumscripção negotiativa locum habet in contractu Locationis Conductionis tam rerum quam operarum: iisdem enim regulis continetur locatio conductio quibus emtio & venditio l. 22. §. ult. l. 2. l. 25. §. 6. ff. locat. ratione canonis in contractu emphyteuticario, si scilicet non tantum in recognitionem domini, sed etiam in compensationem fructuum constituatur. Bachov. ad Treutl. vol. 2. d. 2. rh. 12. l. c. non autem in contractu feudali arg. c. un. 1. Feud. 27. c. un. 2. F. 23. Bach. ad Treutl. d. 1. Sic locum habet in permutatione, quæ emtionis locum obtinet. l. ult. ff. de rer. permut. l. 19. §. penult. ff. de adil. edict. in divisione hereditatis l. 3. C. commun. utr. jud. Dn. Lauterbach. ad rit. ff. fam. ercisc. m. 23. & 24. in datione in solutum, tam voluntaria

taria & extrajudiciali, quæ similis est venditioni ejusque vicem subit *l. fin. ff. quib. ex caus. in poss. l. 4. in fin. C. de evict.* Hahn. *in observ. Wesemb. tit. de resc. vend. num. 6.* quàm judiciali & necessaria. Mantua. *Conf. 207. col. 2.* in dotis constitutione & rerum dotalium æstimatione *l. 12. §. 1. l. 6. §. ult. ff. de jur. dot.* Dn. Richter. *decis. 99. num. 50. & seqq.* in transactione *l. 65. §. 1. ff. de condict. indeb. l. 5. C. de dol. m.* in cambio, quia campio habet easdem quasi difficultates sicut negotiatio, & circa eam multa mala fieri possunt. Strach. *tr. de contr. merc. p. 3. n. 13.* Et regulariter: In quibuscumque negotiis & contractibus locum habet beneficium *l. 2. C. de resc. vend.* in iis etiam locum habet Circumscriptio Negotiativa.

XXVII. Hæc circumscriptio se continere debet in pretio. In re enim si alter contrahentium deceptus fuerit, veluti si emtor rem vitio morbove affectam esse non fuerit certior redditus, sive calliditate venditoris *l. 38. l. 14. §. 9. ff. de edil. edict.* sive ejus ignorantia *l. 1. §. 2. ff. eod.* modo vitium sit latens, & internum, quod emtor ex inspectione scire non possit *l. 1. §. 6. l. 14. §. fin. ff. eod.* manifestum enim si sit vitium, venditor non tenetur etiamsi contrarium dixerit *l. 43. ff. de contr. emt.* læsus, ex sua electione, vel Redhibitoriam vel Æstimationem actionem adversus lædentem potest instituere. Doctores communiter *ad tit. ff. de edil. edict.*

XXIIX. Nec debet circumscriptio negotiativa ex fraudulento contrahentium animo, proposito aut ex intentione, sed facto & re ipsa, ἐμπροσθεν provenire. Multis enim modis deceptio potest accidere, uno, cum ignorantia decipientis: ut, si quis existimans se rem vendere justo pretio, illam vendat plus quam valet, & hæc deceptio dicitur facto & re ipsa accidere, & non ex proposito: alio modo cum scientia, quod alius decipiatur, dolo tamen non interveniente, ut: si quis sciens emtorum hunc esse animum ut velint vili emere, propterea majus statuatur rei pretium, ut paulatim hinc remittendo, illinc addendo ad justam perveniant æqualitatem, sed vel ob negligentiam vel simplicitatem emtoris, interdum præter spem, interdum ex voto, majus rei consequatur pretium, & sic sciens plus
rem

rem vendat, quam valet, quæ circumscriptio dici potest ex scientia: alio iterum modo dolo interveniente, & quidem vel positivè, ut: si propositis aliquibus falsis quis adducatur ut pluris emat quam valet *l. 13. §. 4. ff. de act. emt.* vel si aliquid fiat ut emtor decipiatur, quale esset mittere argentum vivum in aures jumentis vendendis, ut ea ratione minus segne appareat sui que valorem augeat *l. 7. §. 3. ff. de dol. m.* aut alio quodam modo defectus rei contegere, ut ab emente non cognoscantur: vel Negativè, dolosè dissimulando *l. 35. §. ult. ff. de contrab. emt. l. 43. §. ult. eod.* ut: si ea non detegantur quæ venditor quasi ex officio detegere tenebatur *l. 1. C. de edil. act.* Quamvis enim aliud sit celare aliud tacere, neque quicquid tibi audire utile est, id mihi dicere necesse est. *Cic. 3. Offic. 12. & 13.* Neque enim id est celare, quicquid reticeas, sed cum quod tu scias, id ignorare emolumentis tui causa velis eos quorum interfit id scire: hoc autem celandi genus quale sit, & cuius hominis quis non videt? certè non aperti, non simplicis, non ingenui, non iusti, non Viri boni. *Cic. d. l.*

XXIX Denique non debet Circumscriptio negotiativa progredi ultra dimidium iusti pretii naturalis. Quamvis enim contrahentibus in pretio se circumscribere naturaliter liceat *l. 16. §. 4. ff. de minor. l. 22. §. ult. ff. locat.* modus tamen & certi limites sunt præscripti *in l. 2. C. de resc. vend.* quos circumscriptio excedere non debet. Scilicet ne extincta omni spe lucris commercia turbentur, & actione ob quamcumque inæqualitatem concessa, Respublica litium multitudine lædatur, in commerciis rerum, quæ non habent pretium Lege definitum, inæqualitatem quæ negotiativè, sine proposito fallendi accidit, Romani permiserunt. *l. 16. §. 4. ff. de minor.* Ne verò immodica inæqualitas iustitiam proculcet, Imperatores Romani Dioclet. & Maximin. inæqualitati certum terminum constituerunt, quem si læsio excederet, licet nulla fraus interveniret, læsus de enormi læsione conqueri, & beneficio *l. 2. C. de resc. vend.* uti possit. *Dn. Lauterbach. ad tit. ff. de resc. vend. m. 5.*

XXX. Quæ autem læsio dicatur ultra dimidium & quo-

quomodo computatio instituenda, inter Interpretes maxima est dissonantia. Verius tamen, & juri communi convenientius videtur, sic læsum dici, qui non accepit dimidium ejus quod dedit vel promisit l. 2. l. 8. C. de resc. vend. veluti si pretium naturale justum sit 100. emtor sic dicitur læsus, si pro illa dederit supra 200 venditor verò si pro illa acceperit minus quàm 50. Dn. Hahn. in observ. Wesemb. tit. de resc. vend. num. 6. Mynsing. 4. observ. 73. num. 3. C. I. A. h. t. th. 6. in fin. eamque sententiam præjudicio confirmat Carpzov. p. 2. const. 34. def. 8. in fin. 161. Ihr könnet wie recht erwesen / daß be- rührtes Buch zur zeit des geschlossenen Kauffs / nicht den hal- ben theil der bewilligten Kauffg. lder werth gewesen / vnd ihr also mehr dann noch einsten so viel über den rechten werth dafür zu geben zugesagt. Quamvis qui ratione emtoris hanc læsio- nem aliter computent, non desint. Scacc. tr. de commerc. §. 1. q. 7. p. 2. ampl. 10. num. 6. Pinell. ad l. 2. C. de resc. vend. p. 1. c. 2. n. 5. & 6. ita ut emtorem ultra dimidium læsum esse di- cant, si læsio dimidium justii pretii rei emtæ excedat, & ipse dederit vel promiserit justum rei pretium & ultra plusquam justii pretii dimidiam partem, puta si rem quæ valet 100. eme- rit 151, hancque sententiam communem & receptissimam esse dicant Dd. cit. Tamen à priori computandi modo, utpote ju- ri communi convenientiori, eoque læsionis termino, eo- dem jure definito, in dubio recedendum non est, sed ei tam- diu standum, donec adversarius jus speciale Statutarium seu Provinciale monstret contrarium. Sape laud. Dn. Lauterbach. Conclus. forens. Exerc. 1. Conclus. 1. Sicut hunc terminum in emtione & similibus negotiis mutavit Jus Provinciale Wür- tenbergicum, quo inæqualitas sive læsio negotiativa usque ad tertiam tantum partem justii pretii permittitur. Württembergisch Landrecht. p. 2. s. 14. pr. & seq. §. Dn. Lauterbach. ad tit. de resc. vend. m. 6.

XXXI. Quare autem hunc & non alium, supra dicti Imperatores, elegerint terminum, quamvis Dinnerus tr. de just. rer. defn. q. 1. Legumlatores existimasse credat, inæqua- litatis, quam non penitus excludunt hominum indigentia at- que cu-

que cupiditas, commerciorum verò libertas ultrò sustinet, modum hunc justissimum fore, si inter nullam & maximam inæqualitatem, mediam eligerent, eamque ad dimidium justii pretii reducerent: aliasque rationes proferat Arum. *ad l. 2. C. de resc. vend. disp. 1. th. ult. in fin.* Vix tamen secundum Bachovium *in not. ad Wesemb. h. t. l. a.* certa ac specialis ratio dari poterit; sed terminus iste, qui ante erat indifferens, nunc Legis est merè positivæ. Dn. Hahn. *in Observ. Wesemb. tit. de resc. vend. num. 6.* Nec quicquam refert quod specialem ignoremus rationem & quid præcisè Legislatores moverit, ut hunc terminum eligerent ac constituerent, cum non omnium quæ à majoribus constituta sunt, ratio sciri ac reddi possit *l. 20. ff. de ll.* Multa enim Jure Civile, contra rationem disputandi pro utilitate communi recepta sunt, quod innumerabilibus rebus probari potest. *l. 51. § ult. ff. ad l. Aquil.* Et idè rationes eorum quæ constituuntur inquiri non oportet, alioquin multa ex his quæ certa sunt subvertentur. *l. 21. ff. de ll.*

XXXII. Præterea ut terminum, quem circumscriptio negotiativa transgredi non debet, accuratè sciamus, respiciendum est præprimis ad justum rei pretium, quod omnis læsionis est mensura, idque non ex unius singulari affectione, sed ex communi æstimatione est determinandum. *arg. l. 33. pr. ff. ad l. aquil. l. 63. pr. ff. ad l. falcid. Carpzov. p. 2. c. 34. defn. 6. num. 6.* Neque enim circumscriptio enormis dicenda, si statim post contractum perfectum alius, ob singularem affectionem, pretium duplo majus offerat. Dn. Richter. *p. 2. decis. 99. num. 139.* Deinde respiciendum est ad locum ubi res venditur & traditur *l. fin. §. ult. C. de adm. tut.* ut & ad tempus: non autem ad præteritum vel præsens; sed ad tempus contractus est respiciendum *l. 8. in fin. ibi: nisi minus dimidia justii pretii, quod fuerat tempore venditionis, datum esset C. de resc. vend. l. 3. §. 5. ff. de jur. fisc.* Dn. Richter. *p. 2. decis. 99. n. 147. & seq. Mynsing. 4. Observ. 73. num. 7. Carpzov. l. supra circ. verb. Zur zeit des geschlossenen Kauffs nicht den halben theil der bewilligten Kauffgelder werth gewesen.* Hinc quod

quod post contractum perfectum rei pretio accrescit vel decrescit emtoris lucrum vel damnum est *arg. 3. l. de emt. vend.* & quæ tempore contractus non adfuit lætio, sed ex incerto futuro dependet eventu, hinc non attenditur *arg. l. II. §. 4. ff. de minor. Dn. Richter. decis. 99. num. 139.* Unde qui ad dies vitæ alimenta aut annuam præstationem magno emit pretio, & post breve tempus diem suam obeat, exinde enormiter læsus non intelligitur: Sic qui superioribus belli temporibus prædium aliquod vendidit, licet hodie illud duplo vel triplo plus valeat, vel emtor in eo invenerit thesaurum, vel quæ tempore contractus latuerunt, venas metallicas aperuerit, venditor si in pretio, tempore contractus ex communi æstimatione justo, ultra dimidium non fuerit læsus, de injusta circumscriptione conqueri non potest. *Molin. de l. & l. tr. 2. disp. 353. num. 12. & seqq.*

XXXIII. Ex his & quæ præterea apud Doctores in quaestione de enormi læsione, occasione *l. tit. ff. & l. 2. C. de resc. vend.* abundè, inprimis à laudat. Dn. Lauterhach. ad *tit. ff. de resc. vend.* eleganter tractata leguntur, quæ omnia huc congerere, operam esset perdere, difficile non erit iudicare, quomodo in ceteris contractibus & commutationibus Circumscriptio Negotiativa, limites suos, ne enormis & illicita dicatur, debeat observare.

XXXIV. Lucri autem causa contractus fiunt *l. 25. §. 1. ff. de O. & A. l. 8. C. de resc. vend.* & quod Circumscriptio Negotiativa intendit, luctum est & ut patrimonium augeatur: hoc enim votum commune contrahentes gerunt, carius vendere & vilius emere *d. l. 8.* qui finis Circumscriptionis Negotiativæ in se inhonestus non est. *C. 10. C. 12. dist. 88. Dn. Hahn. in Observ. Wesenb. tit. de contrah. emt. num. 5.* Quilibet enim sibi prodesse potest dummodo alteri nocendi animus non habeat, sed suam conditionem meliorem faciendi. *l. 1. §. 11. l. 2. §. 9. ff. de aq. pluv. l. 9. ff. de S. V. P.* & pro sua diligentia, curis impensis ac periculis, tanquam in stipendium laborum suorum licitè Negotiatores majus accipiunt pretium. *Strach. de contract. mercat. p. 3. num. 2. vide sis tb. 8. & 9.* Sic

D

concre-

contrahentes licite possunt lucrum intendere, ad sustentandam propriam familiaeque vitam: hic autem finis bonus est moraliter, charitatis propriae ac suorum: item lucrum intendi potest ad divitias parandas, exercendum opera misericordiae, liberalitatis aliarumque virtutum. Molin. d. sr. disp. 339. n. 4. Dn. Hahn. d. l.

XXXV. Quamvis enim in voto lucrandi facile inesse possit vitium, & propter lucri cupiditatem, attentam hominum fragilitate, res sit multis, ob pravam hominum inclinationem, conscientiae periculis exposita. Duae namque species, ut legimus *Eccles. 26.* difficiles ac periculosae mihi appaerunt, difficile exiit Negotiator a negligentia (scil. in vitandis peccatis) & non justificabitur Caupo a peccatis labiorum: & *cap. seq.* Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur; sic & in medio venditionis angustiabitur peccator: quia difficile est inter ementis vendentisque commercium non intervenire peccatum *C. Qualitas, de penit. dist. 5.* Qualitas tamen lucri negotiatorem aut excusat aut arguit, quia est honestus quaestus & turpis. *C. eod.* Solertia enim, quae praeripit negotiatorem commendat, duo sunt fines: agere honesta, quod laudandum, vel mala, quod in vitio ponendum. *Arist. 6. Eth. cap. 13.* & istum callidum negotiatorem laudamus, qui sine dolo malo per dissimulationem deservit, & sua vel aliena tuetur *l. 1. §. 2. ff. de dol. m.* Quae autem circa negotiationem accidere solent mala plurima, veluti mendacia, perjuria, fraudes & sexcenta alia, isti hominum generi, quod lucris vivit, familiaria, negotiantium sunt vitia, non ipsius negotii. Ego enim mentior, inquit negotiator, non negotium, & mentiuntur omnes Artifices, sutores, agricolae *C. 12. dist. 88.* Sed hoc non faciunt agricolae boni, nec illa negotiatores boni. *C. eod.* Proinde qui non ex dolo & fraudulenta deceptione, sed *επιπροσινως*, negotiando lucrum quaerit, illudque intendit, non simpliciter ut finem ultimum laboris sui, sed tanquam finem necessarium ad sui suaeque familiae sustentationem, aut saltem tanquam honestum, etsi non semper simpliciter necessarium, quod ipsi vitio verti possit

possit nequaquam committit. Strach. *tr. de mercat. pag. 1. num. 29.*

XXXVI. Si itaque hac Circumscriptione Negotiativa in pretio quis læsus fuerit, infra tamen dimidium justis, nisi de sua negligentia, & quod debitam in contrahendo non adhibuerit diligentiam, de quo conqueri possit, non habet. *l. 19. ff. de R. I. l. 3. §. ult. ff. ut in poss. legat. l. 17 ff. ad Sctum Vellei.* nec damnum, quod sua culpa sentit, ullo juris remedio recuperare potest. Vigilantibus enim jura scripta sunt, negligentibus non subveniunt *l. 16. ff. ex quib. caus. maj.* Nec est, quod cujusdam vitii aut iniquitatis Leges Civiles quisquam accuset, cum maxima rei difficultas Legum Civilium Conditoribus facilè persuaserit, ut ad evitandam litium multitudinem, & ne calumnia in infinitum excederet, præsertim cum animorum secreta in contrahentibus perspicere nequeant, non quamvis inæqualitatem; quæ enim legum diligentia fraudibus, in hoc negotio versantibus, satis obviam iverit? Sed enormem læsionem si nec dimidia pars veri pretii soluta vel promissa esset, corrigerent. *l. 2. l. 8. C. de resc. vend. C. 3. C. penult. X. de emt. vend. Dn. Bœcler. tr. de mens. prer. dis. 2.* Neque enim Jus Civile, neque Can. contrahentes ut se in pretio decipiant & circumscribant hortatur, aut illis hoc præcipit tanquam justum; sed solum ad vitandas lites & majora mala fugienda, id tolerat, non impedit, nec ad id resarciendum concedit actionem; sed totum hoc negotium cujusque conscientia, quam Legislatores scrutari nequit, committit. Dn. Struv. *Syntagm. Jur. Civ. Exercit. 1. th. § 8.* Exinde autem asseverari non potest, id Legis fieri autoritate; quippe cum Lex illud non approbet, nec eum qui fraudulenter in hisce versatur, ac in conscientia injustitiæ convictus est, absolvat, sed solum rationabilem ob causam, nec puniat, nec impediatur, pœnam indulgendo non culpam, quia culpam indulgere non potest, minus malum aliquando tolerat, majus ut evitetur, quæ tamen tolerantia indulget tantum veniam pœnæ, non autem culpæ. *C. 6. dist. 4.* Et sic de Jure humano datur aliquando deli-

Etum sine pœna, sed nunquam pœna sine delicto. *Molin. de l. & l. Tr. 2. disp. 350. num. 7. Scacc. de Commerc. §. 1. q. 7. p. 2. ampl. 10. num. 44.*

XXXVII. Ex his facile erit colligere, quid sentien-
dum sit de illa quæstione: An nimirum ille qui dicto modo
negotiativè alium in pretio deceptit, quemadmodum in foro
soli est extra pœnam, nec ad restitutionem ullo juris reme-
dio cogi potest, sic etiam in foro conscientiaæ tutus sit, &
quod ex Circumscriptione acquisivit, cum pace conscientiaæ
retinere queat? Nimirum plures sunt distinguendi casus:
Aut enim intervenit deceptio ex dolo, & in utroque foro
decipiens tenetur, vid. supra *Th. 1. & th. 28.* aut ex re ipsa si-
mul & ex scientia, non tamen intervenit dolus, & hoc casu
procedunt, quæ *Th. præced.* sunt dicta, ut hæc deceptio ob
ibidem dictas rationes sit extra legis pœnam, & usque ad
dimidium justii pretii toleretur in foro contentioso, sed non
in foro conscientiaæ; quia in foro conscientiaæ nemo debet
proximum decipere, quem debet diligere sicut seipsum: quin
imò in hoc foro, omnis deceptio quæ est ex scientia, qualis
est, si quis rem minus valere sciens, eam plus vendat quàm
valet, est damnata, eamque nec Lex Civilis nec Canonica
approbat. *Covarr. lib. 2. var. resol. cap. 2. num. 1.* Sed omnes
Theologi pariter & Jcti asseverant, egredientem sic limites ju-
sti pretii, aut rei valoris, emendo, vendendo, permutando, in
conscientia peccare, restituereque teneri usque ad latitudi-
nem justii pretii aut rei valoris. *Molin. d. l. & l. tr. 2. disp. 350.
num. 4. Covarr. var. resol. lib. 2. c. 4. num. 11. Gomez. in 6. 2.
v. §. de constit. in 6.*

XXXIIX. Aut denique cessat non solùm dolus, sed
cessat etiam deceptio ex scientia, licet remaneat deceptio rei-
psa, qualis est, quæ fit cum ignorantia decipientis: ut, si
quis existimans se vendere rem justo pretio, illam vendat
plus quam valet. Quamvis enim communiter dicatur, quod
quilibet vires patrimonii & rei familiaris scire præsumatur
l. 15. C. de resc. vend. Attamen cum rerum pretia diversis tem-
poribus & locis diversa esse soleant; nec omnes omnium re-
rum

rum valorem, sed illarum tantum artifices & periti aestimatores intelligant: ex his & aliis causis facile fieri potest, ut quis verum rei suae pretium ignoret. Merend. *lib. 1. controv. cap. 41.* Et de hac laesione modo non sit ultra dimidium iusti pretii constanter asserendum, non dari aliquod remedium, nec aliquod subesse peccatum; quia si nutriretur peccatum Summi Pontifices, qui animarum curam habent, conscientiamque informant, remedium aliquod etiam in foro contentioso dedissent. Felin. *in cap. dilecti. X. de emt. vend. Treutl. disp. 29. vol. 1. th. 3.* Franc. de Aret. *subd. num. 24.* ibi: *aliquando dolus non inest, dicens propterea, quod si vendens credit se vendere iusto pretio, & emtor similiter credit se emere iusto pretio, uterque est tutus etiam in foro conscientiae, licet alter eorum sit laesus seu deceptus reipsa.*

XXXIX. Et haec quae dicta sunt extenduntur, ut non solum tutus sit durante ignorantia laesionis, quod dubium non habet, cum deficiat voluntas, sed sit tutus etiam superveniente scientia laesionis; quia licet supervenerit, tamen non tenetur nec in foro fori, nec in foro conscientiae ad aliquam restitutionem. Ant. Burgens. *in C. cum dilecti subd. num. 20.* quae vel maxime procedunt, si non statim sed ex longo intervallo superveniat, & res prout venit non amplius extet; sed vel mutata vel in alios usus translata, aut emtor alio pretio emere, vel venditor distrahere noluerint. *vid. Th. 15. & 23.* Quare ut homo pius ac Christianus, salva omnino atque illaesa conscientia in civili vita, aliis legitimis modis ac salutaribus Magistratus constitutionibus, veluti in Scto Macedoniano, Vellejano, causis testamentariis, usuris, redditibus ac censibus annuis, usucapionibus ac praescriptionibus: Ita quoque in Commerciis & Negotiationibus, absque ullo conscientiae scrupulo uti potest. Thumm. *SS. Theol. D. tr. de usura licita & illicita th. 12.* Si quis vero singularem habeat conscientiam, & pulsante conscientia animum, quae conscium pectus premere nunquam desinit, se ista retinere non posse, morsum sentiat, is, si conscientiae suae iudicium & dictamen, a quo nefas est vel latum unguem discedere, non.

non sequatur, justè vocabitur injustus: cum quilibet agens contra conscientiam etiam erroneam vel dubiam, peccet. Quoniam omne quod non est ex fide peccatum est. *C. ult. X. de prescript.*

XL. Hactenus de Circumscriptione Negotiativa, ejusque Causis forma & effectu, restat ut quæ eam deformant ac in vitio ponant, paucis videamus, quæ simul intelligemus si quæ eam informant ex Th. præced. cognoverimus. *pr. l. de his qui sui vel alien. iur. pr. l. de tut. l. 8. ff. de accus. & inscript.* Sunt autem potissimum, si læsio Negotiativa excedat dimidium justii pretii naturalis, quod quomodo computandum Th. 30. dictum. Et tunc parti læsæ, cetera sit fuerint paria, vid. Doctores commun. ad tit. *de resc. vend.* sive fuerit emtor, sive venditor, vel quicumque contrahens, etiam contractu stricti juris, exceptâ de jure communi Transactione, competit querela enormis læsionis, sive beneficium *l. 2. C. de resc. vend.* quo quis ob enormem læsionem, ex rei valore contingentem, alternativè petere potest, ut lædens ex sua electione, vel læsionem refarciat, & quod deest, non ut læsio amplius non sit ultra dimidium; sed omne quod vero ac justo pretio naturali deest. *arg. l. 2. C. de resc. vend.* quia ea quæ alternativè ponuntur, non solent longè distare, suppleat: vel contractum in totum rescindat, & pretium sine usuris, si mora in solutione non fuerit admittâ, recipiat, ac rem, retentis fructibus, quos interim percepit, restituat. Molin. sæpe cit. *tr. disp. 349. num. 2. 12.* Dn. Lauterbach. *ad tit. de resc. vend. num. 37.* Vel 2. Si dolus interveniat, & tunc si quis eo inductus ut contrahat, omnis contractus b. f. ipso jure redditur nullus. *per valg.* stricti verò juris negotia, nec per dolum causam dantem, nec per incidentem, annihilantur, sed jure subsistunt, & per actionem vel exceptionem doli rescinduntur *l. 36. de V. O. l. 5. C. de inutil. stipul.* vel si dolus inciderit in contractum b. f. purgatur is, vel per actionem ex contractu, vel per doli exceptionem *l. 11. §. 5. l. 13. §. 4. ff. de act. emt. l. 1. §. 2. ff. de pignor. act. l. 7. pr. ff. de dol. m. l. 5. C. de resc. vend.* Vel in re, calliditate vel ignorantia venditoris quis de-
deceptus

ceptus est, & competunt læso actiones ex ædil. edict. compe-
 tentes supra Th. 27. Vel in pretio, dolo accedente, quis est cir-
 cumscriptus, & distinguendum est; quoniam eo vel est indu-
 ctus ad augendum pretium, vid. *ll. modo cit.* vel non est indu-
 ctus, quia fidem non adhibuit, sciens hanc esse consuetudi-
 nem celebrantium similes contractus. Neque enim omnia
 quæ Mercator in vendendis mercibus dixit, præstare debet, sci-
 licet ea, quæ ad nudam laudem rei pertinent; & multum in-
 terest, commendandi causa quid dixerit, an verò præstaturum
 se promiserit, quod dixit *l. 19. pr. ff. de ædil. edict.* Atque hinc
 sæpe mercatores, res quas extrudere volunt laudantes, vel rem
 plus valere, vel carius illam emisse, multa que alia confingen-
 tes, tam ut carius vendant, quam ut emant vilius, excusa-
 buntur tum ab onere rescindendi ejusmodi contractus, tum
 etiam à restitutione ejus quod ita acceperunt. *Molin. de l. & l.*
tr. 2. disp. 3 § 1. num. 16. planè commendatio mercium fit cum
 aliquo temperamento, nec mendaciis utantur, sed honesta
 commendatione. Tollendum enim est, ut ait *Cic. 3. offic.* in
 rebus contrahendis omne mendacium. Sed more malo per-
 niciosoque hodie fit, ut qui mendaciis uti & alios nescit de-
 cipere, desipere aliis videatur: quod tamen cordatum quem-
 quam movere non debet, quin potius audiat *Varronem*, qui
lib. 8. de ling. lat. qui ad consuetudinem, inquit, nos vocans
 si ad rectam, sequamur, si ad eam invitans, quæ
 est depravata, nihil sequamur

magis.

Tantum.



Strassburg, Diss., 1665-66

ULB Halle 3
003 745 031




f

TA → OL

nur 5 Bisher verknüpft

WOM





FAUSTUMQUE

29

MAX.
PRÆSIDE,

1666, 11.

oritate
LISSIMI, AM-
UM ORDINIS
ntoratensum

HANC INAU-
M


RIPTIONE
TIVA.

noribus ac Privile-
ndis,

ini submittit.

S RETBERG,

oque consuetis



ATI
VELPERI.

LXVI.

